



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

1. Res. Qvædam supposita pro intelligentia dicendorum. Primo, quod indigentia pauperum est triplex; extrema, gravis, & communis. Secundo, quod bona, quæ ad subveniendum prædictis necessitatibus ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)



TRACTATUS SEPTIMVS

DE

ELEEEMOSYNA.

RESOLVTIO PRIMA.

Qualem supposita pro intelligentia dicendorum. Primo, quod indigentia pauperum est triplex, extrema, gravis, & communis.

Secundo, quod bona, quae ad subueniendum praedictis necessitatibus erogari possunt, ad tria genera reuocantur, scilicet in §. ultimo huius Resolutionis. Ex p. 5. tract. 8. Rel. 1.

SUPPONO primò quòd indigentia pauperum est triplex, extrema, gravis, & communis. Extrema est, quando quis eis caret, quae necessaria sunt simpliciter naturae; haec autem non solum consideratur, quando nihil succurratur indigenti, statim, aut citò exhalabit animam, sed cum maiori latitudine, nam si aut vita abbreviabitur reum penuria, aut in grauem & diuturnum morbum incidet, etiam censetur extrema necessitas, vel, ut alij vocant, quasi extrema; extrema verò & quasi extrema in moralibus aequiparantur, in quibus parua differentia, aut distantia nulla censetur. Porò nonnulli dubitant, an extrema necessitas sit solum quae merè naturaliter, vel etiam quae alterius malitia & violentia incurritur; non videtur tamen esse locum dubio, quia quae alterius malitia obuenit, vera necessitas est & non est voluntaria patientis, sed est maior necessitas, quia cum inopia coniungitur iniuria.

2. Gravis indigentia diffinitur solet quando desunt necessaria iuxta decentiam & conditionem status. Sed cum requisita ad statum & necessaria persona magnam latitudinem habeant, ut diximus, non omnia quae necessaria sunt statui, ita ut si non censetur superflua, efficiant grauem necessitatem, & potius tres gradus in his distingui debent. Primus eorum, sine quibus necesse est à statu omnino decidere. Secundus eorum, sine quibus licet non decidatur à statu, atque tamen & cum labore ac difficultate conseruatur. Tertius eorum, sine quibus non aequè bene, bene tamen & sufficienter status consistit. Quae sunt in primo genere, necesse est constituunt grauem necessitatem, si deficient, quae autem sunt in tertio genere, nullam necessitatem constituunt, quae sit obiectum eleemosynae: illae enim qui eis caret, non est pauper; quae autem sunt in secundo genere, possunt habere latitudinem, etiam molestia, labor, & inopia intra proprium statum magna sit & vrgens, grauem necessitatem facit: ut si quis magnis debitis in carcere detineatur, aut sit captiuus inter hostes, aut tenui nimis victu & vestitu

vitam transigat: si autem non sit adeò vrgens, sit tamen alicuius momenti & considerationis, efficit necessitatem communem. Potest etiam contingere ut necessitas, quae cogit à statu cadere, non sit solum grauis, sed extrema, quod fit quando nisi à statu decidat mendicando, aut seruiendo, aut artem mechanicam discendo, vitam conseruare non potest. Sunt enim multi, quibus hoc modo mutare statum adeò est indecens, & ignominiosum, ut potius mori malint, & non teneantur vitam conseruare cum isto dispendio, hi extremè egere censendi sunt.

3. Communis necessitas est, quae vera indigentia est, & alicuius momenti, (nam si leuissima esset, quasi nulla reputari deberet) & tamen recedit ab extremo & grauitate praecedentium, talis censetur necessitas eorum, qui mendicant, nam quamuis valde indigant, & solum posse viderentur quae ad vitae sustentationem arctè requiruntur, idè censetur eorum necessitas communis, & non grauis, quia ab omnibus & à multis petunt, & moraliter loquendo, non potest illis desse, quod sufficit pro conditione status; id verò intelligendum est tam de his, qui publicè, quam qui secretò mendicant, dummodo mendicantem ex consuetudine exerceant. Eadem ratione censetur communis necessitas, quam alicui etiam non mendicantes intra proprium statum patiuntur, quae non sit nimis vrgens & grauis, ut modo dicebamus. Haec ergo omnia praeculis habenda sunt in iudicio de praecipio eleemosynae, quae quidem potius prudentis arbitrio in euentibus & circumstantiis discerni poterunt, quam certa & fixa regula comprehendendi. Et haec omnia docet Lorca in 2. 2. sect. 4. disputat. 39. num. 1. & num. 8. 9. 10. & alij communiter.

4. Suppono secundò, bona quae ad subueniendum supra dictis necessitatibus erogari possunt, ad tria genera reuocantur; quaedam enim sunt necessaria ad sustentandum vitam propriam, & eorum qui sub nostra degant cura; alia solum ad statum conseruandum, ut scilicet quis se gerat prout decet statum suum, & haec non constituuntur in indiuisibili. Postremum, ergo genus bonorum est, quod absolute superfluum appellant, eo quòd nec ad naturam, seti vitae, nec ad status conseruationem necessariam sit. Ita Granadus in 2. 2. controu. 3. tract. 11. disp. 1. sect. 1. num. 3. & alij communiter. His suppositis quaeritur.

RESOL. II.

An quis teneatur in extrema necessitate dare eleemosynam, non solum titulo charitatis, sed etiam lege iustitiae?

Et